DE CONJUGIO CONSANGUINEO VITIISQUE EX EO ORIUNDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. M. MARTII A. MDCCCLXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS ROTHER
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

C. RIEBAU, MED. ET CHIR. DR.
O. MEILLY, MED. ET CHIR. DD.
E. ZINCKE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

H. AUG. RUD. LIEBERT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

BENE DE FAMILIA MERITO

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quaestio illa valde gravis de generis humani degeneratione, quae aeque ad familiam societatemque, atque ad respublicas pertinet, non diu medicos fugere potuit; iis erat probandum, quantum hereditas, quantum alia valerent momenta in degeneratione hominum. Quibus in disquisitionibus scientia observationibus autorum Buffon, Esquirol, Foderé, Spurzheim, Rilliet etc., qui huic rei operam dabant, eo pervenit, ut in explicanda degeneratione sensim progrediente considerandam esse censeret causam, usque ad nostra tempora nimis despectam, minus aestimatam.

Quae tamen causa traditione sacrata, legibus sancita, ab omnibus fere recta habita, non adeo certa est, ut in omnium terrarum legibus ejus habeatur ratio. Ea autem causa, e qua degeneratio ista generis humani oriunda est, conjugium consanguineum est.

Quamvis haec quaestio una illarum est, quas nonnullos jam annos autores semper tractaverunt, tamen neque in litteris, neque in publicis eo pervenerunt, ut certo constet, utrum tale conjugium perniciosum sit, necne. Quae dubitatio etiam in variis legibus ad matrimonium spectantibus valde apparuit atque nunc etiam apparet.

Tempore antiquo conjugium consanguineum omnium graduum reperimus. Cujus rei exemplum nobis praebent Persae, Aethiopes, Medi, Indi, qui ducebant in matrimonium non solum filias, sed etiam matres suas. Sanctus enim Hieronymus dicit in scripto suo adversum Jovianum I. 11. „Persae, Medi, Indi et Aethiopes cum matribus et magis cum filiabus et neptibus copulantur". Quibus verbis addit Minucius Felix: „Jus est apud Persas misceri cum matribus"; de quorum matrimoniis Catullus in epodo nonagesima dicere potuit:

„Namque magus ex matre et nato gignantur oportet,
Si vera est Persarum impia religio".

Simili modo apud Phoenices, Carios, Parthos, Scythas atque Aegyptos conjugium consanguineum licitum erat.

Medium tenent Judaei, quibus jam Moses conjugium consanguineum usque ad tertium gradum interdixerat. — Si vero a Judaeis ad Graecos transgredimur, fere idem reperimus, quod Euripides in „Andromache" barbaris exprobrat verbis:

„...... πᾶν τὸ βάρβαρον γένος
πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται
κορή τ' ἀδελφῷ".

Legimus enim legibus Atheniensibus fratrem sororem, non germanam, ducere uxorem potuisse, quamquam Antisthenes invehitur in Alcibiadem verbis:

„συνεῖναι αὐτὸν καὶ μητρὶ καὶ θυγατρὶ καὶ ἀδελφῇ ὡς Πέρσας".

Spartani autem sororem quoque uterinam habebant in matrimoniis.

In Graecia enim conjugia propter procreationem tantum liberorum validorum iniri solebant, ut apparet

ex verbis Platonis in „civitate (I. v) et ex Plutarchi libello „de vita Lycurgi“.

Apud Romanos et Etruscos leges inveniuntur, quae jam apud Judaeos post Mosis tempora erant sancitae, i. e. matrimonium inter consanguineos usque ad tertium gradum iniri vetitum erat. Quam licentiam apud barbaros reperimus, eandem videmus apud Arabes ante saeculum sextum post Christum natum; et apud Peruvianos ante illos reges, qui „Inca“ nominantur. Peruvianos enim narrat Garcilasso de la Vega matrem, filiam, sororem omnesque alias consanguineas duxisse in matrimonium. Quo more etiam nunc in Brasilia fieri potest, ut Freycinet nobis tradit, ut in populo „Corvados“ nominato vir eodem tempore pater, frater et gener sit filii sui. — Soli Sinenses, civitates nonnullae Americae septentrionalis, atque ecclesia graeco-catholica non permittunt, ut consanguinei cujusvis gradus jugantur matrimonio.

Leges vero Romanae jam supra citatae, quae primis ecclesiae catholicae temporibus vim habebant, ab episcopis multo severiores sunt redditae. Experientia usi, quam Sanctus Augustinus „de civitate Dei“ (XVI. 16) et Gregorius Magnus enuntiaverat in litteris: „Ex tali conjugio sobolem succrescere non posse experimento didicimus“, in concilio Tridentino, Sessione XI et XIV, clerici tulerunt leges maritales, quibus interdictum est matrimonium consanguineis usque ad quartum gradum juris civilis.

Quae leges in terris fidei catholicae addictis acceptae, quibus jam in terris evangelicis repugnat venia matrimonii inter consanguineos gradus secundi, omni vi privatae sunt, iis nuptiis, qui a clerico consecrari

necesse non est, sed a judice tantum reddi legitimas (Civilehe). Quale matrimonium iniri potest cum omnibus consanguineis, excepta matre, filia et sorore.

Quemadmodum civitatum instituta hac de re diversa sunt, ita etiam diversas in scriptis reperimus sententias: alii enim conjugia talia dicunt perniciosa, alii ea non solum non perniciosa, sed etiam opportuna propter valetudinem conjugum et liberos esse volunt.

Cujus rei in disquisitionibus tres sententiae prolatae sunt de conjugio consanguineo. Quarum prima, a plurimis defensa, ea est, qua conjugium consanguineum, vi hereditaria remota, perniciosum esse dicitur. — Secundae contra sententiae sectatores vi hereditaria conjugia talia esse perniciosa existimant ea ratione, quod tali conjugio semina morbi in familia insita ad maturitatem perveniant atque hoc modo efficiant ea, quae experientia docente ex conjugio consanguineo oriuntur. Quod quidem argumentum ultimum refugium esse videtur; nullum enim exemplum, quo hanc sententiam demonstrare possent, autores attulerunt, ad vim hereditariam recurrunt, quia dicere nolunt, adversariorum sententiam rectam esse.

Quae vis hereditaria refutatur observandis surdis mutisque. Quibus accuratis observationibus demonstratum est, conjuges surdos mutosque, fere nunquam gignere liberos surdos mutosque. Menière enim observationibus suis eo pervenit, ut contendat: „On doit dire, que l'hérédité de surdi-mutité est une rare exception et que habituellement dans l'immense majorité des cas les sourds-muets mariés aux sourdes-muettes ont les enfants, qui entendent et parlent“.

Inter quas duas sententias tertia quasi media est, quae conjugia consanguinea plane innoxia esse existimat.

Cujus sententiae sectatores nituntur primum experientia, quam zootechnici in ea pecudum cultura, quam nos dicimus „Thierzucht ohne Kreuzung“, sibi paraverunt, deinde observationibus, quibus solum ad confirmandam sententiam utuntur, ratione non habita eorum, quae adversariis objicere possunt.

Fautores vero sententiarum posteriorum in commentationibus, quae sententias rectas esse demonstrarent, in eo errant, quod conditionem successus conjugii consanguinei bonam valetudinem conjugum esse dicunt. Quam sententiam falsam esse, in sequentibus demonstrabimus una cum peritissimis pecudum cultus Sinclair, Princeps, Gourdon, Blakwell, qui consentiunt, pecudum cultum, quem „ohne Kreuzung“ vocamus, serius citius adducere degenerationem et bona tantum selectione in prima, et secunda, forsitan in tertia et quarta progenie posse retardari.

Etiamsi autem res non ita se haberet ac cultus, dummodo pecudes validae adhibeantur, bene succederet, experientia docente idem de conjugio consanguineo dici non potest, cum conjuges optime valentes procreasse liberos infirmos observationes doceant.

Virium vitalium extenuationem e conjugio consanguineo oriri demonstrant affectiones, quae quoad frequentiam, genus et gradum variae sunt. Quales affectiones copiam morborum et infirmitatum Rilliet primus in scripto suo „Note sur l'influence de la consanguinité sur les produits du mariage“ composuit; omnesque ad-

versarii conjugii consanguinei probarunt atque demonstrarunt.

Affectionum, frequentiae variae ratione non habita, composuit Rilliet hunc ordinem:

A. Affectiones, quae ad conjuges pertinent.

I. Conceptio plane deest.

II. Conceptio est retardata.

B. Affectiones, quae spectant ad prolem.

III. Abortus, mortui nati, post partum ipsum morientes.

IV. Monstra.

V. Proles, quarum constitutio physica et psychica non est integra.

VI. Proles, quae morbis ad cerebrum et medullam spinalem pertinentibus inclinat; qui morbi, frequentia eorum dispositi, sunt: epilepsia, idiotismus, mutitas surditate complicata, paralysis, aliae cerebri affectiones.

VII. Proles, quae morbis inclinat ad diathesin scrofuloso-tuberculosam vergentibus.

VIII. Proles, quae prima aetate moritur.

IX. Proles, quae difficilius morbis resistit, quam quae ex conjugio non consanguineo orta est.

Eodem vero tempore ex disquisitionibus nonnulla apparuerunt, quae conjugii consanguinei pericula paullulum diminuunt, nec vero, ut fautores conjugii consanguinei cupiunt, plane removent.

Jam Rilliet in libro ab eo edito, qui inscribitur „Traité clinique et pratique des maladies des enfants“, contendit, non omnes liberos ex talibus conjugiis ortos

succumbere illi perniciei, sed tamen copiam satis esse magnam, ut vindicare sibi possit medicorum assensum.

Quam observationem secuti eo pervenerunt, ut quatuor theses in medium proferrent:

I. In familia omnes liberi effugere possunt perniciem ex conjugio consanguineo, quod tamen valde rarum est.

II. In familia alii afficiuntur, aliis parcitur.

III. Primae generationi parcit pernicies, secunda vero vim perniciosam experitur.

IV. Infirmitates liberorum in una familia affectorum fere nunquam ejusdem sunt generis.

Jam vero quaestio ista non verbis explicanda, sed observationibus et factis tantum est demonstranda, ut omnium consensu comprobetur, utrum conjugia consanguinea perniciosa sint, necne. Qua de causa etiam in his disquisitionibus sola factorum enumeratio sive statistice rem expedire potest.

Nulla enim quaestio magis in statistice posita est, quam quaestio conjugii consanguinei. In quo comparatione instituta definiendum est, num liberi e conjugio non consanguineo orti superent liberos ex conjugio consanguineo ortos, si respicimus ad infirmitates, paris liberorum numeri ex utroque conjugio ortorum habita ratione. Cujus methodi quod nondum majores fuerint eventus, causa illa est, tum quod methodus nimis nova et usque ad nostra tempora neglecta est, tum quod observationes hanc ad rem pertinentes parum sunt certae atque conjugii consanguinei varia genera non accurate enumerata sunt.

Quod vero attinet ad conjugii consanguinei fautorum

observationes, illae perpaucae et parum sunt accuratae, ut apparet exemplo a Dr. Depie adlato[1]), quo conjugium consanguineum perniciosum non esse demonstrare sibi videtur. Narrat enim: „Mon père a epousé sa cousine germaine: sept enfants de ce mariage; cinq vivent encore à Paris sans aucune infirmité; deux morts, l'un de croup, l'autre huit jours après la naissance.“

Quid vero ex illa observatione consequitur, si quis adversariorum conjugii consanguinei eam perpendit? Nempe ad thesem II supra prolatam pertinet, in qua non omnes liberi affici dicuntur. Potestne septimus infans, qui octavo die post partum mortuus est, vim perniciosam sensisse? Neque enim commemoratur, quo morbo laboraverit, neque mentio fit secundae generationis, quamquam illud Boudin in libro ab eo edito, qui has duas promulgaverat sententias, postulat. Accedit narratio a Devay tradita, quae pertinet ad fratres sex, quorum tres in matrimonium duxerunt consanguineas, tres vero alienas. Primorum fuerunt libri viginti quatuor, secundi genuerunt tantum undeviginti.

Ex quibus fautores conjugii consanguinei censent, illud perniciosum non esse, quia multo fertiliora sint talia conjugia, quam conjugia inter alienos inita. Nunc vero indagatio docet, liberorum viginti quatuor ad aetatem virilem quatuor tantum pervenisse, tribus liberorum e conjugio alieno in puerili aetate mortuis.

Tertiam de innocuitate conjugii consanguinei observationem tradit nobis Voisin in libello ab eo edito „Etude sur le mariage entre consanguins de la com-

[1]) Note envoyée à l'Académie des sciences le 26 mars 1863 par le Dr. Depie à Asprières.

mune de Balz, Dép. Seine-Inférieure“; loquitur enim de quadraginta sex conjugiis consanguineis, quorum e quadraginta quatuor nati erant liberi centum septuaginta duo, duo tantum conjugia erant sterilia.

Cujus eventus causam auctor ipse in ratione vivendi et incolarum valetudine positam esse censet.

Quae vero dicamus de observationum usu, si fautores conjugii consanguinei hac ratione concludere solent, ut e nonnullis exemplis apparet: Conjugio consanguineo orti sunt liberi novem; omnes idiotae. — „Sint sane idiotae“, inquit defensor talis conjugii, „sed quo modo consentit tanta fertilitas cum illa sententia, qua adversarii tale conjugium sterile esse volunt“?

Eadem ratione utitur Bourgeois historia hominum quadragintorum sedecim in thesi ab eo prolata: „Quelle est l'influence des mariages consanguins sur les generations“? Illi quadringenti sedecim erant orti ex conjugiis nonaginta et uno, quorum sedecim tantum fuerunt consanguinea. Quibus ex rebus Bourgeois his sedecim conjugiis consanguineis usus censet, talia conjugia perniciosa non esse, neque refutationes adversariorum respicit.

Quae sedecim conjugia genuerunt liberos sexaginta quinque, quorum octo tantum sunt mortui, i. e. pro octo liberis unus periit, dum liberorum ex ceteris conjugiis ortorum pro 6,4 unus obiit. Neque vero in conjugiis consanguineis, neque in aliis conjugiis enumeratio commemorat, utrum abortus, mortui nati, an morbi hereditarii fuerint, qui talia efficere potuerint. Praeterea nobiscum communicat viginti quatuor facta, quae ex aliis solum audita tamen ex autoris sententia refutari non possunt.

Qualibus observationibus singulis et saepe parum accuratis obstant multa accurate et circumspecte observata, quae vim perniciosam conjugii consanguinei comprobant.

Quibus in quaestionibus trium matrimonii generum habenda est ratio:

I. conjugium cum amita aut matertera initum
II. conjugium cum avunculo aut patruo initum
III. conjugium inter patrueles, consobrinos, amitinos initum.

Si vero recte censere volumus, quantum affinitatis gradus in morbis efficiendis valeant, respiciendus nobis est numerus generum singulorum matrimonii, quae supra citavimus.

Quo in numero positae disquisitiones demonstrant, periculum procreandorum liberorum minus validorum in conjugio cum matertera aut amitina inito maximum esse. Dum enim inter centum liberos ex conjugiis non consanguineis orta unus est minus validus, in conjugiis inter patrueles, consobrinos aut amitinos factis augetur numerus usque ad octodecim, in conjugiis cum patruo aut avunculo initis ad triginta septem, in conjugiis cum matertera aut amitina junctis usque ad septuaginta.

Quod ad incommoda talium conjugiorum attinet, iis ducitur vitio sterilitas, ut jam supra commemoravimus. — Qua observatione jam Gregorius Magnus in litteris ad St. Augustinum Durovernensem (Canterbury) missis usus est, quibus respondit quaestioni, num matrimonium concedi possit consanguineis. Illis litteris vetuit consanguineos matrimonio jungi, „nam experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere“.

Quocum consentit Giraud de Buzareignes his verbis: „Les embrassements d'epoux trop uniformes entre eux si bien constitués, qu'ils soient chacun à part, sont souvent infertiles. La fécondation est d'autant plus assurée dans une même espèce, qu'il y a plus intervalle entre les temperaments ou l'état actuel du mâle et de la femelle. C'est pour cette raison que la plupart des accouplements consanguins ne réussissent mal."

Confirmatur vero illa experientia observationibus accurate factis. Devay enim in libro inscripto „Traité special d'hygieine des familles" narrat: Inter centum viginti et unum conjugia consanguinea fuerunt viginti duo sterilia, quorum sedecim plane sterilia, i. e. conceptio nunquam facta est, in ceteris sex conceptio non defuit, secutus vero est abortus conceptionem. Ancelon quoque citat quinquaginta quatuor conjugia consanguinea, quorum quatuordecim fuerunt sterilia[1]).

Observationibus quoque a Chazarain in libello „Du mariage entre consanguins consideré comme cause de degenerescence" relatis commoveris, ut conjugia consanguinea nocere censeas societati humanae sterilitate vel, si non sterilia sint, debilitate et morbis congenitis liberorum ex iis ortorum. Si vero talia conjugia in pluribus generationibus deinceps fiunt, degeneratione physica et psychica exstinguitur familia. Quae degeneratio etiam in pecudum cultu nobis occurrit, ut hujus rei periti Richard, Grognier, Morton (Letter to the Rev. J. Bachmann on the question of hybridity in animals), Bertrand cet. affirmant.

---

[1]) Ancelon, Valeur de la statistique appliquée aux mariages consanguins.

Si vero conceptio non deest, foetus tamen periculum non effugiunt, quum aut non maturi nascuntur, aut post partum moriuntur, aut morbis saepius afficiuntur.

Observationes multae et accurate factae de abortu adhuc desunt; nam Devay, qui primus atque usque ad nostra tempora solus de abortu nonnulla commemorat, inter illa conjugia centum viginti et unum, quae jam supra citavimus, sex tantum cognoverat, in quibus abortus evenit, undecim, in quibus abortus et partus vicibus alternis evenerunt.

Perpaucae quoque deformitates sunt observatae. Devay, cui sexdigitismus frequentissima deformitas esse videtur, septemdecim tantum vidit sexdigitos. — In illa regione, quam Francogalli nominant „Departement Isère", a saeclo praeterito exeunte usque ad annum nostri saeculi quadragesimum omnes incolae pagi „Iseaux" non solum viri, sed etiam feminae nati erant duodecim digitis manus et pedis praediti. Cujus rei causam Boudin in conjugiis consanguineis positam esse censet, quae hoc in pago plurima erant, propterea quod incolae in nullo cum aliis commercio versabantur. Aliarum deformitatum Devay citat duas bifidas, anencephaliam unam, quinque pedes equinos, ad quem numerum accedunt ex nostra observatione duo exempla. — De pede equino Rilliet observat: „Cette difformité est très-commune dans les familles ou l'habitude de la sanguinité persiste depuis longtemps."

Frequentissimi sunt partus liberorum hydrocephalo laborantium. Eo spectantem historiam familiae Devay tradit, in qua omnes undecim liberi perierunt hydroce-

phalo congenito; item in familia, quae in nostris observationibus occurrit, duo liberi ex conjugio consanguineo eodem morbo exstincti sunt.

Singularia Devay de dentitione refert: dentitionem enim liberis, qui e conjugiis consanguineis orti sint, multo difficiliorem atque perniciosiorem esse, quam liberis, qui aliis conjugiis nati sint, multis exemplis demonstrat. — Quam rem etiam Ollier, princeps hospitii Dei, quod Parisiis est, chirurgus, affirmat observationibus, quae in patria collegit.

Albinismum in animalibus fieri ex conjugio consanguineo, tam saepe est observatum, ut Aubé ad illam solam causam reducat morbum. Etiam in liberis e matrimonio consanguineo ortis observatur albinismus. Cujus rei exemplum affert Dr. Bemifs, qui inter centum triginta unum liberos, qui ex viginti septem conjugiis consanguineis nati erant, quinque affectos fuisse albinismo tradit[1]). — Veterinarius quoque Goux narrat, sororem, quae nupserat consobrino, genuisse inter quatuor liberos tres albinismo laborantes, quorum duo statim post partum mortui sunt. — Qualem morbum etiam Ralley, cujus ad observationes in sequentibus revertemur, saepe in liberis ex conjugio consanguineo ortis se observasse commemorat.

Juxta hanc oculorum affectionem visus reperitur caecitas congenita et rètinitis pigmentosa, quae vertitur in caecitatem.

Computationes, quae ad has affectiones spectant, attulit Bemifs in conventu medicorum Washingtoniae,

---

[1]) North. Americ. med. chirurg. Rev. et Med. Times.

ex quibus apparet, in America septentrionali inter centum caecos esse quinque ortos ex conjugiis consanguineis. — Cui observationi addit alteram, quae septingenta octoginta septem conjugia consanguinea complectitur. — Orti ex illis conjugiis erant ducenti septuaginta sex liberi, qui erant vel caeci, vel surdi mutique, vel idiotae.

Retinitis pigmentosa nominatur morbus, qui puerili aetate incipiens visu per crepusculum deminuto inter tertium et quartum decennium finitur caecitate.

Cujus affectionis causam Liebreich observationibus suis nisus in libello: „Abkunft aus Ehen zwischen Blutsverwandten als Grund von retinitis pigmentosa" maximam partem conjugia consanguinea esse censet.

Inter quinquaginta novem, quorum ortus satis erat certus, viginti septem ex conjugiis consanguineis originem duxerunt.

Ad illos viginti septem accedunt adhuc affecti retinitide quatuordecim, qui tali modo sunt distributi in familias sex: in una familia erant liberi quinque, in secunda quatuor, in tertia duo, in ceteris singuli liberi. — Augentur illae observationes a Brochard, qui refert, se surdum mutumque vidisse affectum retinitide pigmentosa.

Quibus affectionibus visus proximae sunt affectiones organi auditorii i. e. surditas et surditas cum mutitate conjuncta.

De surditate certae atque copiosae observationes desunt. Dr. Ehrhardt tantum in praelectione tradit, surditatem ex catarrho saccorum vestibuli congenitam esse et saepe in hominibus observatam conjugio consanguineo ortis.

De surditate autem conjuncta cum mutitate frequentissimae atque accuratissimae observationes exstant. Illam enim affectionem autores majorem partem et majore consensu gigni ex conjugiis consanguineis censent. Quam frequentissimam esse inter liberos talis conjugii demonstrant ea, quae de hac re in America septentrionali observata sunt. Conjugia enim consanguinea servorum numero superant conjugia consanguinea dominorum, eaque de causa etiam servis nascuntur plures liberi surdi mutique.

Ceterum in civitatibus Americae septentrionalis inter centum surdos mutosque natos decem orti sunt e conjugiis consanguineis (Bemifs). Plurimum autem valent his in rebus acta institutorum, quae in Francogallia ad recipiendos surdos mutosque exstant. Ex quibus apparet, centum surdorum mutorumque 29,782 originis esse consanguineae. Quae vero tum demum recte aestimare potes, si cognoveris, numerum omnium conjugiorum in Francogallia relatum numero conjugiorum consanguineorum esse majorem quinquagies, i. e. inter centum conjugia duo esse consanguinea.

Numerus vero ille 29,782 apparet ex illis, quae observarunt Landes, Chazarain et Boudin in institutis, quorum erant directores. Brochard, qui instituto surdorum mutorumque Nogenti praeest, observationibus suis inter centum dicit esse 29. — Ex quibus sequitur, numerum surdorum mutorumque, qui orti sunt ex conjugiis consanguineis, duodecies usque ad quindecies majorem esse eo, qui eveniret, si surdi mutique pari modo essent distributi inter liberos ex utroque conjugio ortos.

Quamvis magnus est numerus surdorum mutorum, qui

originem ducunt, ut probant acta institutorum, ex conjugiis talibus, tamen ex historia demum singularum familiarum cognosci potest, quam saepe oriantur ex talibus conjugiis surdi muti. — Cujus rei exemplum affert Chazarain in scripto supra commemorato. Octo instituti Burdigalensis alumnis erant consanguinei duodecim surdi muti, qui viginti surdi muti orti erant ex quindecim conjugiis consanguineis, dum novem aliis alumnis conjugio alieno ortis duodecim quoque erant consanguinei surdi muti, ita ut omnes viginti et unus inter familias quinquaginta et unam distributi essent. Unde sequitur, surdos mutos pro centum conjugiis consanguineis esse octoginta, pro centum non consanguineis viginti tres. Qui numerus augeretur, si accurate quoad adscendentes parentum definiri posset, utrum consanguinei non sint, an pro consanguineis non habeantur. Tunc enim fit, quod supra jam commemoravimus, ut priori generationi parcat pernicies, cujus rei Chazarain unum exemplum affert. Quippe M. L. quidam duxerat filiam consobrini, ex quo conjugio originem duxerunt filius et filia. Filia bene valens viginti annos natu nupsit viro nonnullos annos majori natu. Quo in conjugio una tantum orta est filia surda muta. — Pariter insignis est observatio, quam Balley refert. Pharmacopola, natione Francogallus, duxit Germanam, natam conjugio consanguineo; liberorum quatuor erat primus gibbosus, secundus surdus mutus, tertius valens, quatuor idiota.

Conjugium consanguineum causam esse surditatis cum mutitate conjunctae observationes etiam probant, quae in variis populis et civitatibus de diversa fre-

quentia hujus affectionis pro diversis eorum legibus maritalibus factae sunt.

Quomodo in Hibernia fidei catholicae severissime addictae inter centum surdos mutosque 4,8 ex conjugiis consanguineis orti sunt, quum inter Judaeos tanta est frequentia surdorum mutorumque, ut Boudin contendat sexies majorem esse numerum surdorum mutorumque inter Judaeos, quam esse debeat. Reperit enim in Francogallia inter ducentos surdos mutosque tres Judaeos esse, quum numero Judaeorum cum Francogalliae ceteris incolis comparato 0,5 tantum reperiri debeat. Judaei enim fuerunt eo tempore trecentesima octogesima pars incolarum.

Similia demonstrant observationes, quas Liebreich collegit, ex quibus haec apparent. Inter trecentos quadraginta unum surdos mutosque fuerunt Judaei quadraginta duo, quorum undeviginti Berolini non nati sunt. Ceterorum, qui erant Christiani, nonaginta novem Berolini non nati sunt. Omnium ergo sunt nati Berolini ducenti viginti tres, quorum viginti tres Judaei, ducenti Christiani. Ex aliis vero cum illis conjunctis observationibus apparet, inter decem millia Judaeorum esse viginti septem, inter decem millia catholicae fidei addictorum 3,14, inter decem millia evangelicae fidei addictorum sex surdos mutosque natos. Inter centum igitur apud Judaeos 0,27, apud catholicae fidei addictos 0,0314, apud evangelicae fidei addictos 0,06 numerantur

Pruner-Bey quoque narrat, frequentissimos esse Judaeos surdos mutosque in Aegypto, quia fere semper consanguineas ducant in matrimonium. Quocum con-

sentit Elliotson, quippe in libro inscripto: Human physiology tradit: „The rich Jews in this country hawe the same bad custom of marrying first cousins; and I never saw se many instances of squinting stammering pecularity of manner imbecillity or insanity in all their varions degrecs, intense nervousness, as in an equal number of other persons“.

Numerus autem surdorum mutorumque multo saepe augetur in regionibus, quae conjugia non consanguinea reddunt difficiliora. Qua de causa numerus surdorum mutorumque, qui in omni Gallia est sex pro decem millibus, et in illa regione, quam Francogalli vocant „Dépt. de la Seine“ duo pro decem millibus incolarum, augetur in insula Corsica usque ad quatuordecim, et in regione nominata „Département des Hautes-Alpes“ usque ad viginti tres.

In Norico (Steyermark) inter decem milia incolarum sunt quadraginta quatuor surdi mutique, in Carinthia et Carniola (Kaernthen und Krain) viginti sex, in regione circa Juvavium (Salzkammergut) triginta.

Gravissima quoque sunt, quae reperimus de nonnullis Helvetiae pagis, quae collegit Hain in libello, qui inscriptus est „Statistik des österreich. Kaiserstaates.“ Ex quibus apparet, inter decem millia incolarum in pago Tigurino et pago Valesiae esse decem, in pago Basilensi octodecim, in pago Arolensi viginti quinque, in pago Bernensi viginti octo surdos mutosque. Singulare etiam est, quod Brown observat, qui, multos annos in Sina versatus, se nullum surdum mutumque ibi vidisse affirmat; cujus rei causam in legibus maritalibus positam esse censet.

Quantum vero periculum liberos surdos mutosque procreandi propiore consanguinitatis gradu augeatur, docet tabula, quam Boudin ex suis aliorumque observationibus composuit.

Quae tabula cum frequentia conjugiorum aliisque observationibus comparata probat, cum in Gallia centum conjugiorum 0,88 inter consobrinos, 0,4 cum avunculo aut patruo, 0,016 cum martertera aut amitina iniri soleant, inter centum surdos mutosque nasci 16,41 ex conjugiis inter consobrinos, 1,49 ex conjugiis cum avunculo aut patruo, 1,12 ex conjugiis cum matertera aut amitina initis.

Ex omnibus vero observationibus apparet, conjuges surdos mutosque fere nunquam procreare liberos surdos mutosque.

Pari modo e conjugiis consanguineis idiotismum omnesque affectiones psychicas oriri, jam saeculo duodevicesimo opinio vulgaris erat. Quippe jam Dr. Ellis ait: „Les mariages entre parents consanguins produisent des enfants prédisposés à la folie. Pourquoi en est-il aussi? je ne prétends pas expliquer, mais je ne doute pas du fait, non seulement d'après mes propres observations, mais aussi particulièrement d'apres le Dr. Spurzheim et autres, qui ont fixé leur attention sur ce point". Cujus affectionis exempla Howe collegit, quae complectuntur septemdecim conjugia consanguinea. Quibus ex conjugiis duxerunt originem liberi nonaginta quinque, quorum quinquaginta octo laboraverunt variis morbis. Inter illos quinquaginta octo fuerunt quadraginta quatuor idiotae, qui ita fuerunt distributi in septemdecim conjugia, ut in una familia essent

quinque, in quinque familiis quaterni, in tribus terni, in duabus bini, in ceteris sex familiis singuli idiotae. Quibus in omnibus conjugiis conjuges erant patrueles aut consobrini. In America septentrionali Bemiss autore centum idiotarum sunt quindecim orti ex conjugiis consanguineis.

Etiam his affectionibus probatur, magnum momentum in religionibus diversis diversisque earum legibus maritalibus positum esse. Nam adversus Esquirol, qui inter catholicae fidei addictos in Britannia permultos esse idiotas propter conjugia consanguinea contendit, Stark ostendit, inter evangelicae fidei addictos etiam plures esse idiotas. Observavit enim numerum majorem idiotarum in Britannia et Scotia, quam in Hibernia fidei catholicae addicta. Quippe secundum computationes ejus anno 1847 fuerunt in Britannia et Silurum terra (Wales) inter 16,885334 incolas 15,094, in Scotia inter 2,781683 incolas 2,417, in Hibernia inter 8,175134 incolas 3,738 mente capti i. e.

in Britannia erat unus inter 1120,
„ Scotia „ „ „ 1150,
„ Hibernia „ „ „ 2187 incolas.

Similia nobis tradit Hübertz de Dania, ubi inter mille catholicae fidei addictos 3,34 insani, inter mille Judaeos 5,85 erant.

Frequentia conjugiorum consanguineorum nonnullos ante annos habita est causa hysterodemonopathiae, quae in vico „Morzine“ nominato (Dép. Haute-Savoie) observabatur. Dr. Constant enim in scripto „Relation sur une epidemie d'hystero-demonopathie en 1861“ illam causam esse probat observationibus usus Dr. Arthaud,

qui illa in regione inter octoginta conjugia et unum novendecim esse conjugia consanguinea reperit. Ceterum Dr. Constant affirmat, quamvis conjugia consanguinea his in regionibus permulta sint, se tamen neque surdum mutumque, nec caecum natum reperisse. Igitur perniciem talium conjugiorum ad systema cerebri tantum pertinere et irritatione nervorum tales amentias effici censet.

Cretinismum quoque magna parte ex illis conjugiis oriri multi putant. Cujus rei exemplum praebet Stahl in ephemeride „Prager Vierteljahrschrift", qui commemorat quatuor cretinismo affectos, qui orti erant ex conjugiis consanguineis. Quocum consentit Guggenbuehl in litteris ad Lord Asthley missis. Sententiam illam jam Foderé in libro „De cretinismo" protulit. Ibi enim refert, reperiri illud vitium in plurimis et ditissimis familiis valles Alpium habitantibus, atque tali modo, ut fere nunquam familia sit, in qua minime unus sit cretinismo affectus. Quod minime mirum esse, cum maxima patriciorum pars inter se matrimonia inire soleant, ut divitias familiis conservent. Quem morem ecclesia quoque tueri facilioremque reddere dispensatione, quam ecclesia praebere soleat „propter bona in eadem illustri familia conservanda"[1]).

Menière quoque in scripto „Du mariage entre parents consideré cause de la surdi-mutité congenitelle" statuit, frequentiam cretinismi in pago Bernensi oriri ex conjugiis consanguineis, quibus Koestl in libro „Der Cretinismus als Gegenstand öffentlicher Fürsorge" quo-

[1]) Jousset, Théologie morale II.

que tantum momenti tribuit, ut conjugia consanguinea vetita et interdicta prophylaxin cretinismi esse consentientibus Howe, v. Faber, Rilliet aliisque contendat. — Idem statuunt Faber in scripto „Traité du goître et du cretinisme“ et Blakie, qui in libro „Cretins and cretinism“ frequentiam hujus affectionis inter incolas pagi Newhaven prope Edinburgium siti e conjugiis consanguineis exsistere censet. Illius enim pagi incolae, ex stirpe Danica oriundi inter se tantum matrimonia inire solent. Quo etiam illa observatio est referenda, quam Erlenmeyer nobis tradit in scripto „Kropf und Cretinismus im Kreise Coblenz“. Etenim ibi refert, insulae „Niederwerth“ sexcenta quadraginta jugera continentis incolas septingentos quinquaginta esse, quorum centum triginta unus affecti sint cretinismo; item ibi numerum satis magnum surdorum, surdorum mutorumque reperiri. In quo ad situm insulae iniquum, qui ad cretinismum efficiendum multum valeat, etiam solitudinem accedere, in qua incolae habitent. Qua solitudine eos cogi, ut inter se conjuges quaerant eamque ob causam incolas omnes hujus insulae propinquitate conjunctos.

Affectionum ceterarum, quas Rilliet enumeravit, perpauca exempla exstant, quae quidem accurate ac perspecte observata sint. Ceterum huc etiam pertinent, quae Cadiol in libro „Effets des alliances consanguines“ affert[1]). Etenim eo autore inter quinquaginta quatuor conjugia a consanguineis gradus tertii et quarti inita quatuordecim erant sterilia, in septem conjugiis nati sunt mortui tantum, aut qui post partum statim

[1]) Gazette med. de Paris. 1863. No. 52.

moriebantur; duodeviginti genuerunt scrophulosos, rhachiticos, tuberculosos, surdos mutosque atque idiotas tantum liberos, quum ceteris in conjugiis liberi sive plus sive minus valerent. Illa quoque sententia, quam protulit Rilliet, e qua liberi e conjugiis consanguineis orti facilius afficiuntur morbis, quam liberi e conjugiis non consanguineis procreati, liberique minores natu moriuntur aut aliis morbis magis sunt obnoxii, multis confirmatur observationibus. — Cujus rei exemplum Forestier, medicus Aquae Sextensis, familiam affert, in qua erant affecti liberi octo vario modo. Primus horum liberorum conjugibus consobrinis ceterum bene valentibus procreatorum valebat usque ad duodevicesimum mensem, tum meningitide affectus est, quam secuta atrophia extremitatum inferiorum et scoliosis, quibuscum conjuncta est morbo exeunte affectio sensus auditorii, quae sensim usque ad surditatem augebatur. Secundus liberorum mortuus est quinque annos natus; tertius sensim factus est surdus; quartus surdus mutusque natus est, quintus auditu laborabat, sextus, qui etiam surdus mutusque nascebatur, quum annum tricesimum ageret, prima praebuit dementiae signa, septimus idiota fuit, octavus surdus mutusque natus est.

Majorem mortalitatem talium liberorum esse demonstrat exemplum, quod Dr. Laforie affert. Conjuges M. habebant liberos sex, filios duos B. et D., filias quatuor A. C. E. F., omnes bene valentes. Duae filiae nupserunt consobrinis, duae aliis; alter filius duxit consobrinam, alter peregrinam. Quorum conjugiorum qualis fuerit liberorum valetudo, e tabula sequente apparet.

	Conjugia consanguinea. Numerus liberorum.	Numerus liberorum, qui puerili aetate mortui sunt.		*Conjugia non consanguinea.* Numerus liberorum.	Numerus liberorum, qui puerili aetate mortui sunt.
A.	11	11	*D.*	6	2
B.	8	6	*E.*	7	0
C.	5	3	*F.*	8	1
	24	20		19	3

Ex quibus consequitur, centum liberorum e conjugiis consanguineis ortorum mori aetate infantili octoginta tres, quum in conjugiis non consanguineis inter centum tredecim moriantur. — Aliud exemplum affert Dr. Viennois Lugdunensis; narrat enim, X. quendam natum parentibus bene valentibus in matrimonium duxisse consobrinam optime valentem; cujus conjugii fuisse decem liberos, quorum quinque prima aetate mortuos esse, quatuor scolioticos, quintum valde debilem fuisse.

Epilepsiam in talibus liberis inveniri etiam Trousseau, qui antea dubitavit, conjugia consanguinea perniciosa esse, exemplo probat. Primum enim ait, epilepsiam in liberis e conjugiis consanguineis ortis aeque inveniri ac surditatem cum mutitate conjunctam, quae e tabellis in Britannia et America compositis satis appareat. Deinde refert, se arcessitum esse aliquando ad familiam, in qua conjux nupserat avunculo. Nunquam cognitas fuisse affectiones malas in ascendentibus horum conjugum; in quatuor autem liberis eorum filiam natu maximam amentia laborasse, filium secundum epilepticum, filium tertium valde irritabilem, filium quartum denique idiotam et epilepticum fuisse. Eodem referenda est observatio a Ralley facta[1]). In conjugio

[1]) Gazette med. de Paris. Année 1863. No. 5—7.

inter consobrinos facto liberi primi sunt mortui nati, ceteri omnes perierunt excepto uno, qui rhachiticus ac simul chorea St. Viti affectus erat.

Quid igitur jam dicamus? An contendamus, conjugia consanguinea omnino perniciosa esse, et usque eo progrediamur, quo Schuermayer in libro „Handbuch der medicinischen Polizei“ aut Ed. Reich in scripto „Geschichte, Natur- und Gesundheitslehre des ehelichen Lebens“ conjugia consanguinea ad gradum quartum inita lege interdici ac migrationem hujus legis gravissimis poenis affici volunt.

Sed hoc, ut nunc res se habet, fieri non potest. Sunt enim observationes pauciores, quam ut talis lex feratur. Praeterea istae observationes ad affectiones spectant, quae quidem singulis civibus nocent, non vero civitatem ipsam in periculum vocant, quo Martini in scripto „Ueber die Rekrutirung in staatsärztlicher Beziehung“ alludere videtur, si tanquam causam interdicendi conjugii consanguinei eam affert, quod debilitas tironum iis conjugiis augeatur. — Leges vero, quibus talia conjugia interdicerentur, optimas futuras Menière demonstrat observationibus, quas in paludibus orae maritimae occidentalis Francogalliae instituit. Illarum enim regionum incolae, „Cajots“ nominati, maximam partem conjugia consanguinea inierunt; frequentia vero affectionum, quae oriri ex talibus conjugiis dicuntur, iis minus frequenter initis valde deminuta est.

Ex omnibus vero his, quae diximus, apparet, una tantum ratione quaestionem de talibus conjugiis dissolvi posse; quae ratio a Rilliet jam adhibita atque in eo posita est, ut accuratae observationes multos per annos

repetantur. Tam multae enim observationes colligendae sunt, ut alia alia confirmetur omnisque error vitetur.

Neque minus ea ratione explicari potest, quomodo fiat, ut parentes valentes, qui ascendentibus validis nati sunt, liberos morbis laborantes procreent.

Si enim fautores conjugii consanguinei dispositionem morborum ex hereditate ortam adducunt, hypothesis eorum fit valde dubia, si respicimus certas observationes, quibus parentes surdos mutosque non procreare liberos surdos mutosque demonstratur. Usque ad nostra tempora harum rerum explicationes multae factae sunt.

Ex omnibus observationibus apparere videtur, causam esse positam in affectionibus systematis nervosi, quarum tamen natura revelari non potest. Omnes enim affectiones a pede equino usque ad caecitatem et amentiam eo possunt referri.

Jam si quaerimus, quid certi de his morbis statuendum sit, solum de surditate cum mutitate conjuncta et de retinitide pigmentosa certa quaedam statui possunt, quum ceterarum affectionum observationes eo non sufficiant.

Ea autem, quae de istis morbis certo statui possunt, haec sunt:

I. Quamvis conjugiorum centum duo tantum sunt conjugia consanguinea, tamen numerus surdorum mutorumque ex talibus conjugiis natorum est pro centum surdis mutisque viginti octo.

II. Numerus surdorum mutorumque referendus est ad gradum consanguinitatis parentum.

III. Numerus surdorum mutorumque deminuitur difficultatibus, quae leges maritales parant.

IV. Numerus surdorum mutorumque augetur in illis regionibus, in quibus conjugia non consanguinea impediuntur iniquitate loci. Cujus rei exemplum praebet Gallia. Qua in terra maxima pars 29,500 surdorum mutorumque reperitur illis in regionibus, in quibus propter montes negotia sunt prohibita. Sunt enim in illa regione, quam Francogalli vocant Département Ariège inter decem millia incolarum centum sexaginta unus surdi mutique; eaque in regione conjugia consanguinea tam frequentia sunt, ut clerici medicorum ordinem Montpelliensem rogaverit, ut publice declarent, talia conjugia naturae contraria esse et familiis nocere.

V. Surditas cum mutitate conjuncta non semper in prima generatione observatur, non raro in secunda demum exsistit, praecipue in illis conjugiis non consanguineis, in quibus conjugum alter est ortus ex conjugio cousanguineo.

VI. Parentes surdi mutique fere nunquam procreant liberos surdos mutosque.

Quoad retinitidem pigmentosam reperimus inter centum liberos quadraginta quinque ex conjugiis consanguineis ortos.

De ceteris affectionibus, quas e conjugiis consanguineis oriri censent, i. e. de sterilitate, abortu, albinismo, idiotismo aliisque morbis, ut nunc res se habet, nihil certi potest statui. Observationes enim de iis paucae tantum modo atque haud cum tanta cura institutae sunt, ut iis certo comprobetur, conjugia consanguinea ad efficiendos hos morbos maxime idonea liberis perniciosa esse.

VITA.

Natus sum Carolus Rother die XXVI. mensis Februarii anni MDCCCXLV. Duesseldorfii, provinciae Rhenanae urbe, patre Ernesto, matre Laura e gente Damen, qui parentes adhuc vivunt et ut in tempus longissimum mihi incolumes serventur, in summis meis est votis. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis in schola Duesseldorfiensi imbutus a. h. s. L scholam beati Draegeri adii; ibi per quinque annos versatus transii anno LV in gymnasium Friderico-Guilelmum, quod etiamnunc Cel. F. Ranke directore floret. Ibi quum per quindecim semestria in litteras incubuissem et testimonium maturitatis academicae adeptus essem, tempore paschali a. MDCCCLXIII ab illustrissimo Juengken, tum decano spectatissimo, civibus academiae medico-chirurgicae Ill. Grimm directore, Cel. Elsholtz subdirectore adscriptus sum. Per quadriennium interfui horum virorum illustrissimorum, celeberrimorum, experientissimorum scholis: Braun, Peters, Dove, Rose, A. Mitscherlich, G. Rose, Sonnenschein, Schultz-Schultzenstein, Lieberkuehn, Reichert, du Bois-Reymond, Troschel, de Lauer, Boehm, C. G. Mitscherlich, Liman, Virchow, Hirsch, Juengken, Elsholtz, Burchardt, Ehrhardt, Schoeller, Meyer, Frerichs, Traube, de Langenbeck, de Graefe, Lewin.

Qui viris omnibus de me optime meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Quae tali modo medicinae studio didici, ea etiam adhibendi aestate praeterita bello inter Borussos et Austriacos orto occasio opportunissima mihi oblata est, jussu enim regio cum exercitu nostro contra hostes profectus et munere medici militaris functus sum.

Jam tentaminibus et physico et medico nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut hac dissertatione cum thesibus adjectis defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Tussis convulsiva non neurosis nervi vagi, sed catarrhus contagiosus epidemicus.
2. Lithothritia praeferenda lithotomiae.
3. Syphilis non aevo medio est orta, sed jam longo tempore ante exstitit.